



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

De oratione mentali

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

dinatiâ se tactam advertit gratiâ, quæ illam in secretum cordis invitans & appellans cubiculum, ut audiat & recipiat à Deo secretas instructiones, dona & lumina cœlestia in altissima pace; & ut æternarum voluptatum suavitatem prægustet, hoc orandi genus vocatur *orare in spiritu*. seu *in unione spiritus cum Deo*, eo quod oratio ista perficiatur in profundo animæ, sine discursu aut ratiocinatione composita, sed simplici quasi quodam intuitu, qui illam afficit & suaviter in eo quod experitur ac possidet, intra semetipsam oblectat. De hoc extremo orationis genere hic non tractabimus, sicuti nec de oratione vocali, verùm istam materiam in alteram nostri Directorii partem, quæ propria Professorum est, rejicimus. In hoc igitur tractatu tantùm agemus de tribus aliis orationis speciebus, scilicet de mentali, mixta & aspirativa, quia istæ Novitiis absolutè necessariae sunt ad perfectam acquirendam introversionem & interiorem cum Deo conversationem.

CAPUT II.

De oratione mentali.

O*Ratio mentalis*, juxta ipsam nominis significationem, nihil aliud est, quàm interior discursus & quædam connexio sive coordinatio bonarum cogitationum & sanctorum affectuum circa materiam aliquam, è qua profectum suum spirituale anima haurire desiderat. *Definitio.*
Est

Descriptio Est discursus spiritualis, in quo Deo magnâ cum fiducia aperimus plagas & afflictiones cordis nostri, nostras perverfas inclinationes, & generaliter omnes necessitates atque infirmitates nostras, humillimeque supplicamus, ut ipse, pro sua infinita bonitate, compatiatur infirmitatibus nostris, nosque in amicitiam ita suam recipiat, ut ab illa nunquam amplius excidamus, juxta resolutionem, quam capimus, vitam emendandi, moresque nostros omninò reformandi. His ita præsuppositis ipsius hic excellentiam exponemus, absolutam quam ejus frequentandæ habemus necessitatem declarabimus, ac partes, ex quibus illa componitur, explicabimus.

De Excellentia orationis mentalis.

HOc sanctû orationis mentalis exercitium in semetipso consideratum nobilissimum est eorum omnium, quæ in hoc mundo haberi possunt: illud enim *thesaurus est ille infinitus*, quo de agitur in sacris litteris, qui è *Sap. 7, 14.* cælo datus est *hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitia Dei.* Conjunctio est, ut ait S. Joannes Climacus, hominis cum Deo, opus Angelorum, animæ vita, & interioris nostri hominis nutrimentum. Si verò innumeros expendamus, quos nobis adferre solet oratio ista, fructus, idem ait sanctus, illa est puritatis cordis nostri mater, illa est, è qua nascuntur contritionis lacrymæ, illa est, quæ nos Creatori nostro reconciliat, nobisque peccatorum nostrorum abolitionem obtinet, illa est inexpugnabile scutum contra tentationes,

nes,